C.R. BIBLIOTHECA UNIVER. JAGELL. CRACOVIENSIS
17725
I | Mag. St. Dr. | P

...inus

...arszewic Matth: Syncharma

Adm. Rev. Dno Martino Goltewski.

1628.

PANEG. et VITAE
Polon. 4°.
№ 247

Biblioteka Jagiellońska
stdr0000288

ΣΥΓΧΑΡΜΑ

Admodum Reuerendo Domino.

MARTINO GILEWSKI,

Decano S. Floriani, Sanctæ Sedis

Apostolicæ Protonotario, &c. &c. eius festiuitatis Die

QVO

Pro loco inter S. Theologiæ Doctores in Celebri Academia Cracouiensi obtinendo, Publicam Disputationem habuit,

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

Oblatum.

A

MATTHIA BVRSZOWIC,

Artium & Philosophiæ Baccalaureo.

CHRONOSTICHON.

CLarVs GILeVIVS qVo ConDeCoratVs honore
ALto DoCtorIs Læta trophæa refert.

CRACOVIÆ,
In Officina Francisci Cæsarij, Anno Dni. 1628.

Beatus homo qui inuenit ſapienti-
am, & qui affluit prudentiâ. Me-
lior eſt acquiſitio eius, negotia-
tione auri, & argenti: primi &
puriſſimi fructus eius. Precioſi-
or eſt cunctis opibus ſapientia:
& omnia, quæ deſiderantur
huic non valent compa-
rari. Prou: 3.

17725 I

MARTINVS GILEVIVS

ANAGRAMMATISMVS

SERTA VIGILI MVNVS.

M Agnificos Pallas cùm cerneret Alma triumpho S
A ugusti Cracûm studij; Repleta stupor E
R espicit ac oculis defixis, cuncta tuetu R
T andem GILEVII clari dum lumina cerni T
I nsignita nouo splendore, nouoq; verend A
N umina quẽ placidè dederunt sibi, splendida cult V
V elocis falcem peracutam prouidus art I
S aturnus dedit ingenij: pinguis Δαιμῶνος Γ
G ramineis in visceribus Telluris, ab aur I
I nuentus stimulante fame, nitido rutilus So L
L umine ceu terras, animo dotauit Heril I
E ximiumq; Venus tribuit candore decore M
V irgineâ lauro Phæbus, rationis & arc V
I nsigniuit: Vbi præclarum munere Nome N
V idit GILEVII Pallas, mox candida vult V
S ERTA iubet VIGILI Doctori tradere MVNVS.

 ODE

O D E
T R I C O L O S
T E T R A S T R O P H O S.
Precium non vile laborum.

O Diua magnis quæ tribuis viris
Magnos honores, dulciſono metro,
Nec geſta clarorum perire
Calliope pateris virorum.
Deſcende cælo, dic, age, tibiâ
Velis ſonorâ quem celebrarier
A me vel acri barbito, vel
Threiciâ citharâ Chelyq;?
Ducumne quenquam Romulidûm ſatum
De gente clarâ? qui rigido feri
Martis duello fudit hoſtes
Terribiles, tumidumq; fœdè
Infecit æquor ſanguine Punico?
An quem togatum dulciloquens Dea
Linguâ diſertâ concelebrans
Eloquium tribuit ſuaue?
An quem perennis munere ſplendido
Virtutis auctum Magnanimum Ciuem
Sentit procelloſis paterna
Fluctibus exagitata ſedes?
O Diua magnis Calliope viris
Quæ das honores, dic, age, quem velis
A me celebrari virorum
Carmine pertenui profare?

Tum

Tum Diua verbis sic retulit meis
Responsa; Magnum nonne vides virum
De stirpis augustæ præalto
Semine GILEVII creatum?
Qui bellicosos Sarmaticis dedit
Oris alumnos artibus optimis,
Suadela munus contulit Cui
Eloquij, Cui sunt penates
Cordi paterni, Cui diademate
Lauri sacratæ candida tempora
Ob liberales cinxit artes
Et studium σοφίας decorum,
Qui rore puro Castalia lauit
Crines solutos, qui Liciæ tenet
Dumeta natalemq; syluam
Delius & Patareus Apollo:
Huic nunc Coronam conficias velim
Non de virenti fronde Phanetia,
Fuluo metallo sed nitentem:
Nam genitus cerebro sacrato.
Sacrati Iehouæ quomodo sit Dei
Natus resoluet, quoque genus modo
Mortalium passus redemit.
Iussa capesso libens, feroq;
Gemmas coruscas & rutilantium
O Diua gazas adfero splendidas
Lubens lapillorum, Coronam
Tu modo necte sibi decoram.
Primò nitentem colloco SARDIUM
Terræ rubentis qui speciem refert:
Nam clarus ortu, nobilique
Clarus honore, tamen benignus

Extat:

Extat: SMARAGDVM peruiridem fero
Nam doctus æquam iustitiam colit
Et seruat: Aurati coloris
CHRYSOPRASVMQVE repono, nauus
Est cultor almæ nam sapientiæ.
Et trado trinis versicoloribus
Rosæ fragrantis, purpuræque
Et violæ nitidum AMETHYSTVM.
Nam Charitatis mirificos refert
Et comitatis muneris ac sui
Suaues odores. Nec relinquam
SARDONYCHEN rubeo nigroq;
Colore clarum, candidulo quoque,
Sed hic reponam; nam patrios amat
Verè penates, & pudicvs
Ac humilis peragit caduca
Vitæ caducæ tempora, Restat &
Clarus coruscâ luce TOPAZIVS
Cunctos repræsentans colores
Exsuperansq; suo lapillos.
An hunc Coronæ figere fluctuas
O Diua? votis Encyclopædiam
Habere virtutum tuarum
Dum cupit ac animo peroptat?
Non sic Charybdes Thessalus effugit
Iason rapaces, impia Colchidum
Ad regna prudens aureo pro
Vellere dum secat æquor altum:
Non sic perustos stelliferi poli
Sensit calores Iapetionides
Solare lumen dum Mineruæ
Auxilio Phrygiæ, per orbem

Sparsit:

Sparsit: labores Magnanimus graues
Non sic virili pectore pertulit
Et fortis Alcides, trifaucem
Dum Stygijs ab aquis retraxit
Canem. Vt celebris GILEVIVS satus
De stirpe clarâ sustulit otij
Sonos strepentes, dum σοφιας
Aurea vellera cepit almæ:
Vt sensit idem tædia pergrauis
Clarus laboris magna, scientiæ
Dum sparsit ardentes præaltæ
Multifidasque faces in orbem:
Vt hic subiuit dum triplicis decus
Triplex Sophiæ surripuit latens
Locis ab abstrusis & omne
Latiuago patefecit orbi.
Sic ergo claro moribus arteque,
Et sic decoro fronde Phanetia
Ex his lapillis comparatum
Da diadema nouo Dynastæ.

BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE

XI. VIII.18